



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Quid sit Mens. Cap. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

Quid sit Mens.

CAP. II.



Deo, ut ab increata luce manat mēs,
tanquam lux creata, insensibilis ta-
men; cui in rebus sensibilibus Sol vi-
sibilis proportione respondet. Deus
est omnium centrum; mens est immobilis cir-
culus à centro pendēs: Deus est ipsum vnum;
Menti per nexus cum uno, conuenit vnio, &
vnitas: Deus est super ens, & initium entis;
Mens est eminentissimum ens, & omne, quod
verē est; nam quod verē est, intelligibile est;
huiusmodi sunt Ideæ, quæ menti conueniunt.
ideo rectè dixit Plato; Circa omnium Regem
omnia sunt: quod verum non esset, si Rex om-
nium, ens nuncuparetur. Dicitur itaque pri-
ma mens vnitas, essentia, esse, veritas, vita, in-
telligibile, & intellectus; quæ inter se non sub-
stantia, sed ratione distinguuntur. Vnitas, siue
vnio, est participatio ipsius priui vnius, & ne-
xus cum eo. Essentia est veluti vnitatis proce-
fio, ex qua ens consurgit; nam essentia est id,
quod res est. Esse verō est ipsa existentia, quæ
ex essentia consurgit: Ens est in eodem gradu
cum veritate. Mens itaque est primò ens, pri-
moque essentia; at non primò vnum, sed par-
ticipatione. Essentię, & enti succedit Vita, quæ
verē & absolutè vita est: nam cæteræ sunt vim-
bræ quædam, & potius non vitæ, quam vitæ.
Sequuntur mox Ideæ, siue formæ entium, quæ
Intelligibilia nuncupantur. Demum adest In-

tellectus, qui in se, & ad intelligibilia conuer-
titur; qui verè & absolutè est intellectus: nam
transfertur sæpè hoc nomen ad animam ra-
tionis compotem, cui solùm per conuenien-
tiam, & similitudinem conuenit. Hæc prima
mens est ea, quæ à Platoricis Mundi faber nū-
cupatur. Propterea rectè asseruit Speusippus,
ens primum esse proprium principium cæte-
rorum entium, Mundi fabrum, ac interinabi-
le Diuinitatem, ab uno superiore penden-
tem. Ex his constat, dum gradus eorum, quæ
sunt, ex sententia Platonis, vel sectatorum e-
ius, numerare volumus; nequaquam in primo
gradu collocandam esse in mente; cùm mani-
festissimè ab eis in secundo gradu collocetur.
Quod nouit etiam Philoponus, & asseruit in
3. de anima 15. Pariter & Auer. in suis disputa-
tionibus cōtra Algaz: disp. 5. in sol. 3. dubij. Ex
sententia verò Arist. secùs se habet: nam Deum,
primum in mente, primumque intelligibile in
idem redigit: non enim tam exactè resoluti,
nec tam accurate distinguit principia rerum
prima, ut faciunt Platonici.

De principiis, & generibus rerum.

CAP. III.

Tapparet, quomodo in mente, siue
in mundo intelligibili reperiatur cō-
positio; primò, quæ sint interna prin-
cipia, & quæ prima genera rerum, ex-
plicandum est. Principia, ex Platonis senten-
tia,